

SOLEMNIA DEDICATIONIS

NOVI GYMNASII REGII AD SANCTAM MARIAM

POSNANIENSIS

DIE XV. MENSIS APRILIS ANNI MDCCCLVIII.

PUBLICICE CELEBRANDA

INDICIT

Dr. Brettner,

A CONSIL. REG., GYMNASII REGII AD SANCTAM MARIAM DIRECTOR.



POSNANIAE.

IMPRESSUM IN OFFICINA M. ZOERNII.

990
3 (1858)



SOLENNIA DEDICATIONIS

NOVI GYMNASII REGII AD SANCTAM MARIAM



ROSNANTZIS

THE XX MENSIS APRILIS ANNI MDCCCLV



UNIVERSITATE BONONIENSIS

Dr. Brodner

—

ROSNANTZIS

—



PROGRAMM

DER

AM 15. APRIL 1858 VORM. 10 UHR STATTFINDENDEN FEIER

DER EINWEIHUNG

DES NEUEN MARIEN-GYMNASIALGEBÄUDES.

1. Feierliches Hochamt in der Gymnasialkirche; — sodann im Gymnasialsaale;
2. Gesang: Veni sancte spiritus, von Abt Vogler;
3. Deutsche Rede des Regierungs- und Provinzial-Schulraths Direktor Dr. Brettner;
4. Gesang: Chwała i cześć, Chor von Kuntze;
5. Polnische Rede des Inspektors und Oberlehrers Dr. Rymarkiewicz;
6. Kirchliche Weihe;
7. Gesang: Magnificat von J. Schnabel.

—(b24)—

PROGRAMM

UROCZYSTOŚCI NA DNIU 15. KWIECZNIA ROKU 1858. Z RANA O GODZINIE 10¹⁶

ODBYĆ MAJĄCĄ SIĘ

W CELU POŚWIĘCENIA NOWEGO GMACHU

DLA

GIMNAZYUM ŚWIĘTEJ MARYI MAGDALENY WYSTAWIONEGO.

1. Uroczyste nabożeństwo w kościele gimnazyalnym; poczem na sali gimnazyalnej;
2. Śpiew: Veni sancte spiritus, przez Opata Vogler;
3. Mowa w języku niemieckim, miana przez Regencyjnego i Prowincyalno-Szkólnego Radzcę i Dyrektora Dra. Brettnera;
4. Śpiew: Chwała i cześć, Chór ułożony przez Kuntze;
5. Mowa w języku polskim, miana przez Inspektora i Naucz. wyższ. Dra. Rymarkiewicza;
6. Obrzęd kościelny poświęcenia;
7. Śpiew: Magnificat, przez J. Schnabla.

PROGRAMM

AM 12 APRIL 1858 VORM 10 UHR STATTFINDENDE FEIER

DER EINWEIHUNG

DES NEUEN MARIEN-GYMNASIALGEBÄUDES

1. Kirchliche Hochamt in der Gymnasialkirche; — sodann im Gymnasialsaal:
2. Gesang: *Veni sancte spiritus*, von Ad. Vogel;
3. Deutsche Rede des Rektors- und Provinzial-Schulrats Direktor Dr. Brenner;
4. Gesang: *Choral i. octav*, Chor von Kunze;
5. Polnische Rede des Inspektors und Oberlehrers Dr. Rymkiewicz;
6. Kirchliche *Witte*;
7. Gesang: *Magnificat* von J. Schmalz.

PROGRAMM

UROZYSTOSCI NA DNI 45 KWIECIA ROKU 1858 Z RANA O GODZINIE 10

WOLNO WYKONAC

W CELU POSWIECENIA NOWEGO GMACHU

1858

GINAZJUM SWIETEJ MARIJI MAGDALENY WYSTAWIENEGO

1. Liturgia nadzwyczajna w kościele gimnazjalnym; pośrodku na sali gimnazjalnej:
2. Śpiew: *Veni sancte spiritus*, przez Ad. Vogel;
3. Mowa w języku niemieckim, niema przez Rektora i Provinzial-Schulratschulrat Dr. Brenner;
4. Śpiew: *Choral i. octav*, Chor niemiecki przez Kunze;
5. Mowa w języku polskim, niema przez Inspektora i Nacz. wykz. Dr. Rymkiewicza;
6. Obrzęd kościelny poświęcenia;
7. Śpiew: *Magnificat*, przez J. Schmalz.

Illuxit tandem dies nobis omnibus exoptatus et votis expetitus, quo novam hanc litterarum sedem, amplam sane et eximio decore nitentem, lacti et spei optimae pleni intramus. Ingredientibus autem eam quidnam antiquius esse potest, quam ut summo beneficii huius auctori, Augustissimo atque Clementissimo principi et Regi nostro gratissimi animi sensa expromamus, ut munificentiae eius hoc novum documentum non solum stilo prosequamur, sed adpectu eius moti iterum solemniter voveamus, obedientia, fide et observantia nosmet semper memores Ei nos probaturos? Faxit deus, ut benevolentissimis Regis nostri consiliis qui docent in hac domo et qui discunt semper satisfaciant; ut sanctae religionis integritas, principatus regii intemerata reverentia, probi mores et indefessum optimarum artium studium etiam intra hos parietes vigeant et semper lactiora capiant incrementa. Hunc autem gratum erga Principem animum optime testabimur, si iussa et mandata sapientissimorum magistratuum, quos instituit, Summi ministerii et Collegii amplissimi, res scholasticas in provincia hac moderantis, religiose et impigre executi erimus, quantum iis debeamus non solum ob curam, condendo huic novo gymnasio impensam, sed omnino ob benevolentiam in nos collatam, pio animo recolentes. Doctae Germaniae litterarum cultus, Germanorum laboriositas et intelligens iudicium, quae virtutes omnibus gentibus ornamento sunt omnibusque expetendae, utinam etiam in his aedibus sedem domiciliumque habeant.

Verum utut laetitia perfundimur huius diei celebritate, commovemur tamen quodammodo animo veteri illi gymnasio nunc supremum vale dicentes. Non advenae enim in hac terra innato quodam ducimur amore omnium anteactae aetatis monumentorum, in quorum numerum etiam illas nunc orbas aedes referre fas est. Mens vel invita revolvitur ad memoriam praeteritorum saeculorum; reminiscitur, quot viri probi orando et laborando illic aetatem transegerint, quam numerosa suboles, optimis artibus instituta, ex illis penetralibus exierit, ut domi bellique bene de patria mereret; reminiscitur, etiam illud gymnasium habuisse suae quondam dignitatis et prosperitatis assertores, quorum beneficia nulla aetas obliterabit. — Nos aetate proveciores, qui meminimus adhuc socios obitorum illic laborum, nunc iam vita defunctos, semper muros istos caros habebimus, iuvenes autem, discipulos nostros, monitos esse velimus, ut futuro tempore praetereuntes istas parietinas, usui profano iam destinatas, ne obliviscantur, fuisse hoc quondam sacrarium litterarum, operoso maiorum labore posteritati commendatum.

Quicumque vel paululum veterum scripta, maxime cadentis latinitatis adtigit, cognovit profecto, orationem eorum, missa constructionum, quas vulgo dicunt, difficultate et tenebris, audacissimis tropis, quos recentiores linguae respuunt, insignem esse adeo, ut nonnunquam mirari subeat, qui factum sit, ut scriptores ipsi, etiam docti et acumine ingenii praediti, tam monstrosa et absona, ut nobis quidem videntur, scribere et lectores intelligere possent. Uniuscuiusque troporum generis tantam invenimus copiam et tam insolentes figurationes, ut qui hoc in genere veterum rationem explicare voluerit, improbum sane suscipiat laborem necesse sit, cum singula ad certas classes revocanda et quibus gradibus a sano et moderato usu ad portentosa perventum sit, explicandum fuerit. Nos h. l. tantum pau-

cissima de *denominationis vi ac ratione* disputaturi sumus, totam rem in quatuor partiti partes et exemplis plerumquē usi minus notis, quae magnam partem in lexicis nostris desiderantur.

§. 1. Longissime patet hoc metonymiae genus, ex quo nomina *affectuum, virtutum vel vitiorum* pro personis ponuntur. Huc pertinent illae amantium blandae appellationes, quas apud Comicos, maxime apud Plautum, invenimus quasque proferre vix operae pretium videtur, eum et ex se intelligantur nec a consuetudine aliarum linguarum procul recedant; veluti *Casin.* 3. 3. 14. *Quid agis, mea festivitas?* *Epidic.* 5. 1. 8. *Quid agis, mea commoditas?* *Mostel.* 1. 3. 139. *mea voluptas;* — *Stich.* 5. 5. 14. *mea suavitas;* — *Curcul.* 2. 3. 26. *o mea opportunitas,* *Curgulio,* salve — quod etiam ita expli- cant, ut opportunitatis notionem pro numine accipiant et *Curgulio* ipse dea dicatur, ut *Bacchid.* 4. 3. 35.

Tuam Copiam eccum video, *Chrysalum* —
vel *ibd.* 4. 8. 38.

Vah, salus, me servavisti.

atque *Asinar.* 3. 3. 65., ubi servus fidelis dicitur *copiarum thesaurus* et *salus interioris hominis.* Jam paulo insolentior est locus *Pers.* 2. 2. 11.

Scio *fidei* hercle *herili* ut soleat impudicitia obprobrari — i. e. servo, qui hero fidelis est. — Nec quae opprobrio vertuntur, proferam, ut *Trueul.* 2. 2. 65.

Odium meum progreditur —
vel *Asinar.* 1. 2. 25.

Atque *eccam illecebra* exit.

Jam insolentius figurata illa apud *Ovid.* *Haliout.* 58.

Foedus..... provolvitur ursus,

Quid nisi pondus iners stolidaeque *ferocia* mentis — et, quod plane innovatum, *Heroid.* 1. 108.

Tertius immundae *cura* fidelis harae.

Cura enim active h. l. positum significat eum, qui haram curat, ut *A. A.* 1. 552.

En adsum tibi *Cura* — — fidelior —

i. e. qui tui curam maiorem habeam, quod quantum distet ab illo noto usu vocabuli metonymico apertum est. Idem dici potest de significatione nominis *spes.* Vulgo enim *spes* est qui spem de se facit, ut filii dicuntur *spes* parentum, sed *Silius Ital.* *Punic.* XVI. 505. sic canit:

sed *prima coronae*

Spes trepidat tantis venientibus *Eurytus* alis — ubi *spes coronae prima* dicitur, qui ipse primum victoriae praemium consecuturum se esse sperat, plane ut apud *Statium Theb.* VI. 327.

Oebalios sublimis agit *spes proxima palmae*

Amphiaras equos —

i. e. qui proximam victoriam sperat. Nec minus affectata, quae legimus apud *Sil. Ital.* XVII. 425.

Ausonius globus *periuria Graja* resignat —

i. e. *Macedonas* periuros, foedifragos caedit —

vel apud *Ovid.* *Amor.* II. 18. 27.

Et *Paris* est illic et adultera, *nobile crimen* —

i. e. quae criminis causa erat. Quodsi *Ovidius* bis usurpavit *facundia linguae* pro *magno oratore,* *Epist.* ex *Ponto* 1. 2. 69.

Suscipe *Romanae facundia,* Maxime, linguae — et *ibd.* 2. 3. 75.

Me tuus ille pater, *Latiae facundia* linguae — fortasse imitatus est Graecos, quos qui summa *facundia* et eloquentia pollerent, *γλώσσας* dixisse docuit *Jacobs* ad *Stat. Regill. dedicat.* p. 39. *Meinekii* *Fragm. Comic. gr. edit. min.* 1. p. 57. — Sed haec haecenus; iam ad alterum genus transgrediamur.

§. 2. Vocabula significantia actionem, conditionem, casum vel eventum mirum in modum personarum significationem recipiunt et cum verbis iunguntur, personis tantum accommodatis. Mittimus illa in vulgus nota *arbitrium* (arbitri), *regimen* (rector), *matrimonium* (uxor), *officium* (ii, qui ad officium properant cf. Burm. ad Claudian de VI. cons. Honor. 523.), *servitium* (servi)*), *certamina* (qui digni sunt, quos imitemur**) et quae sunt alia id genus neutra, atque digeramus paulum ab his diversa. Sic *mors* dici pro *corpore* mortui iam Lexica nostra monent; exemplis iam allatis addimus ex Sil. Pun. VI. 32.

...atque *iniecta morte* tegebat (aquilam)

i. e. corpore suo mortuo, et ibd. XIII. 544.

...mortem exercet *inanem* (Rhadamanthus)

i. e. umbras mortuorum vexat poenis. Nam, quod Symposius Aenigm. XV. de vipera dicit:

Id mea *mors* patitur, quod iam fecit mea origo —

pro: „ego moriens facio, quod feci nascens“ aenigmati formae accommodatum.***) — Verum etiam *morbis* dicitur pro aegrotato. Insolentissima sunt, quae apud Plinium h. n. XXVIII. c. 11. leguntur: „Sanguinem quoque gladiatorum bibunt, ut viventibus poculis, *comitiales morbi*“ — quod vulgo explicant: comitali morbo affecti bibunt gladiatorum sanguinem, quasi pocula haec calorem vitalem habeant. Missa difficultate, quae latet in abstruso verbo: *viventibus* poculis, quam Silligius sicco, quod vulgo dicunt, pede transit, hoc tantummodo dicamus, figuram hanc: „*morbi bibunt*“ pro *aegroti* usu Plinii omnino excusari, qui passim infirmas corporis affectiones ponit aut pro laborantibus ipsis, aut pro loco male affecto. cf. XXX. 11. 47. Spongiae imponuntur et his *morbis*, quos vaporari oportet. — XXIV. 14. 6. *Lassitudines* perungi aceto utile est. — XXVIII. c. 42. Lupi excrementis circumlini *suffusiones* prodest — i. q. palpebras suffusorum oculorum; — XXVIII. 35. Si *exitus cibi* rosionem sentiunt i. q. ἐν δόξει ἐντέρων. XXIII. c. 16. Tibiarum *taedio* cum sale illinuntur (folia vitis albae) i. e. ulceribus putridis. Sic etiam explicandum XXVIII. c. 49. *scarificare dolorem* i. e. locum corporis dolore affectum, cum scarificandi verbum non significet *scarificando tollere*, ut vulgo explicant. Alia id genus scientes mittimus.

Morborum vel affectionum nomine significantur etiam animalia vel homines improbi et molesti. Apud Nonium p. 2. a Lucilio Trebellius quidam dictus fuisse videtur *febris*, *senium*, *vomitum*, *pus* et olim apud Plautum Mostel. 3. 1. 119.

Absolve *hunc*, quaeso, *vomitum*, ne hic nos enicet. — quod nunc Ritschel Parerga Plaut. p. 480. sustulit legendumque censet: „*vomitu* ne nos hic enicet,“ cum illa Luciliana plane sint incerta.

Quae hoc in genere posteriores maxime scriptores et poetae confinxerunt, portentosa plane et paene inextricabilia quominus iuste digeramus, loci angustiae prohibent; pauca igitur tantum delibemus, ut perversae elegantiae studium perspiciatur.

Apuleius Met. IV. 72. *bestias* damnatorum capitum *generosa funera* dicit i. e., ut explicant, quasi

*) In transcurso dicam *servitia* apud Petron. Sat. CVII. alio sensu dici. „*Servitia* cernitis“ i. e. conditionis servilis vestigia, stigmata.

**) Non improbanda enim videtur Walteri interpretatio loci apud Tacit. Annal. III. c. 55. „Verum haec nobis maiores certamina ex honesto maneat.“ Sic apud Claudianum Eutropius dicitur Eoem *crimen*, Rufinus *poena* orbis cf. in Rufin. II. 405.

Felix illa manus, talem quae prima cruorem

Hauserit et fessi *poenam* libaverit orbis —

i. e. quae portentum illud et pestem orbis terrarum prima vulneraverit.

***) Virgil. Aen. IX. 345.

.....ensem

Condidit adsurgenti et *multa morte* recepit

Parpureum.

Mors pro cruore, quod sciamus, alio loco non legitur.

sepulera et ἐμψύχους τάρφους hominum ad bestias damnatorum. Nec dubitavit Statius Theb. XII. 172. leonem famelicum dicere *famem*:

.....timor omnibus ingens,

Quae (iuvenca) placeat, quos illa *fames* descendat in armos —

i. e. in quamnam esuriens bestia impetum factura sit; at multo insolentius Martial. Ep. III. 7.

Quid cogitatis, o *fames* amicorum —

i. e. vos patroni, qui antea nihil dantes clientes vestros fama perire cogebatis. Recipit igitur *fames* significationem activam. Perinde obscura illa apud Stat. Theb. V. 457. Hypsipyle conqueritur, se ab Jasone derelictam esse, Medae amore capto. Vulgo legitur:

.....sua iura cruentum

Phasin habent; alios Colchi generatis amores —

et explicant per antiptosisin ita ut sit: sua iura cruentus Phasis habet. Sed Barthius ex optimo suo libro emendat: *mea* iura etc. addens: „*sua* iura dicit, quia legitimis taedis ipsi fuerat Jason coniugatus.“ Igitur *iura mea* accipiendum pro *marito*.

Quodsi ibd. X. 565.

Una *omnes* eadem subit formido per annos

annos dixit pro hominibus omnium aetatum, eadem usus est figura, secundum quam *saecula* dicuntur pro qualibet hominum vel animalium turba non solum apud Lucretium, sed etiam apud Claudian. de Raptu Proserp. II. 311.

Cunctaque praecipiti stipantur *saecula* cursu

i. e. umbrae, animae omnium defunctorum.

Filios dici *incrementum* noverunt omnes ex Lexicis. Apud Apul. tamen Met. V. 107. paulo insolentius Venus indignabunda haec de Cupidine, filio suo: „Nimirum istud *incrementum* lenam me putavit —“ absolute, cum in hoc usu vocabuli genitivus addi soleat, uti Jovis *incrementum*, uteri *incrementum*, populi *incrementum*, alia.

Huc pertinent quae sunt apud Senec. de benef. VI. c. 30. „cuius rei inopia laborant *magna fastigia* i. e. *cives primi fastigii* et mira dictio Lucan. Phars. III. 606.

.....sublato errore

i. q. gemino fratre. — Petronius Satir. XLV. homines statim fugam capessentes dicit meras *fugas*, quod sane locis iam in lexicis e Livio citatis quodammodo explicatur, ut apud Graecos *αἱ φυγαὶ* pro *φυγάδες* cf. Lobeck Paralip. p. 133. Nec dissimilis ratio loci Plaut. Pers. 3. 3. 20., ubi servus nequam dicitur *solida servitus**) et Petronii XLIII. *discordia, non homo*, et Senecae consolat. ad Mart. XVII. „tantae futuros turpitudinis, ut ipsi *maledicta* sint“ i. e. ut nomina eorum loco maledicti sint. — Locis autem iam notis, quibus probant, *custodiam* dici pro reo vinculis detento, adiicimus ex Apuleio de deo Socrat. 691. „daemona raptare illico et trahere veluti *custodiam suam* ad iudicium.“

Disputavimus hucusque de permutatione nominis, quod vulgo dicunt, abstracti et personae; superest largus recens locorum, ubi abstractum ponitur pro *re*, quod genus tamen h. l. vix leviter adtingemus. Sic vocabuli *frigus* significationem Martial. Epigr. II. 46. mirum in modum invertit:

Tu spectas hiemem succincti lentus amici

Proh scelus! et lateris *frigora* trita times —

i. e. tritam et obsoletam tunicam tui amici, — cf. ibd. 1. 55.

*) Mittimus h. l. alia servorum apud Comicos convicia: *flagitii flagrantia, herilis perniciis, germana colluvies, nidor e culina*, et a posterioribus vel in malam, vel in bonam partem dicta; cf. Claudian. in Rufin. II. 499. auri *insatiabilis proluvis*; ibd. de Mallio: „*sincera bonorum congeries*“ (de Mall. Theod. cons. 135).

Quisquam *pieta* colit Spartani *frigora* saxi —
 i. q. atria divitum marmore Laconico incrustata ad frigus captandum;
 et Stat. Silv. II. 154.

Excludunt radios silvis decussa vetustis
Frigora —

i. q. umbra ab arboribus diffusa. — Sic *soporem* Statium tempora dixisse Silv. II. 3. 29.
laevumque soporem..... tetigisse sagitta —

iam lexicographi docent, non proferunt *fragorem* esse apud eum spumam maris fragore magno concitata et latera navis adspergentem Theb. V. 337.

geminus fragor ardua canet

Per latera —

et *terrorem* i. q. cristam equinam, terrorem incutientem ibd. IX. 107.

Lycus excelso terrore comantem

Perstrinxit galeam —

vel *originem* i. q. imagines ex antiqua historia depromptas ibd. IX. 333.clypeusque insignis et auro

Lucidus Aeoniae celatur origine gentis.

Verum, ut dixi, haec diligentius sunt pertractanda.

§. 3. Sequitur tertia classis amplectens nomina, quae rem significant sub oculos cadentem pro *homine* posita. Proferam verba Casauboni Persium (II. 26) explicantis: „Ut Lucilius carcerem appellavit hominem dignum carcere vel qui carcerem saepius inhabitavit, sic Persius dixit h. l. bidental hominem, cui mortuo bidental est factum etc.“ Huic plane apposita *lupanar* Catull. 42. 13. i. q. mulier prostituti pudoris; *columbar impudens* apud Festum; *pileus* i. q. homo amicus, nostra tuens et conservans Plaut. fragm. Cornicul.Te obsecro, Lyde, *pileum meum*; — *ergastula* pro servis cf. Ruperti Juven. Sat. XIV. 24. *Palma* pro victore.

Verum haec omnia litterarum harum peritiores norunt; proferam ex Martiali tantummodo et Statio pauca, ut appareat, quo recentiores poetae hoc in genere aberraverint. Martial. Ep. I. 26.

Sextiliane, bibis quantum *subsellia* quinque

Solus —

ubi Lemair synecdochen accipit: „quantum quinque equites, qui *subsellia* in XIV. ordinibus occupant“ ne nimia sit hyperbole; at plane inaudita ibd. II. 37.

Nec tibi *mitrarum*, nec sit tibi barba reorum; — *barba mitrarum* est mitras gestantium, mollium et effeminatorum, quorum barba depilata erat; — ibd. III. 82.

At ille retro flexus ad *pedum turbam*

Inter catellas anserum exta lambentes

Partitur.....

ubi *pedes* i. q. pueri, qui ad pedes stant, quemadmodum nasus pro homine acuto, derisore, criminatore Epigr. XIV. 96.

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini

Accipe; sed *nasus* longior ille fuit.

Contortissima, quae apud Stat. Silv. I. 3. 126. legimus:

.....Tu Troica dignus

Saecula et *Euboici* transcendere *pulveris* annos

Nestoreosque situs —

ubi *pulvis Euboicus* significat sibyllam Euboicam, quae erat tot annorum, quot arenae micas manu fuerat amplexa; — ibd. IV. 4. 14.

Ardua iam densae rarescunt *moenia* Romae —

i. e. numerus incolarum imminuitur, proceribus media aestate rus proficiscentibus. — Nec omittenda ibd. V. 2. 47.

Ille secundus apex bellorum et proxima *cassis* —

i. e. Bolanus fortissimus post Corbulonem miles. *Cassis* igitur significat militem; ut apud Claudianum*) *galea*, quem locum de bello Getico v. 532. citavit Barthius, qui idem rectissime adnotavit, apud solum Statium *cruorem* dici pro filio. Thebais V. 656.cui parva *cruoris*

Laetave damna mei —

i. e. qui filium meum sibi traditum aut minus curabat, aut etiam interitu eius laetatur. — Sed iam subsistam.

§. 4. Paucissima tantum dicamus de figura, ex qua homo ponitur pro affectu, virtute, qua ipse erat. Hoc in genere mirum quantum poetae maxime posterioris aetatis sibi indulserint. Sic *Nestor* i. q. senectus Martial. Ep. X. 24. 11.Post *hunc Nestora* nec diem rogabo.

i. e. absoluta hac aetate. Gronovius recte comparat Juven. Sat. 12. 128.

Vivat Pacuvius, quaeso, vel *Nestora totum* —

et Mart. Ep. XI. 12. *Mentora* frangis i. q. toreuma Mentoreum; ibd. X. 48. *Nero* pro terminis Neronianis. Operae pretium videtur addere ex Martial. Ep. III. 93. 1.

Cum tibi *trecenti consules*, Vetustilla,

Et tres capilli quattuorque sint dentes —

i. e. trecenti *anni*, quod plane inauditum videtur, quemadmodum ibd. VIII. 45. 4.

Amphora *centeno consule* facta minor —

i. e. amphora, cui propter temporis vetustatem aliquid deperit; et Claudian de VI. cons. Honor. 390.

Spectandosque iterum nulli celebrantia ludos

Circumflexa rapit *centenus saecula consul*.

i. q. annus centesimus celeriter ad finem adducit saeculum.

Sic apud Martial. Ep. III. 12.

Inter *Caesareae* discrimina saeva *Dianae* —

i. e. venationis a Caesare (Domitiano) in amphiteatro exhibitae. — Statius Silv. III. 1. 41. invocat Herculem, ut veniat non ut bellator,

....sed quem te Menalis Auge

Confectum thiasis et *multo fratre* madentem

Detinuit — —

i. e. Baccho, vel vino ebrium. —

et Theb. XI. 238.

Ingenuit victorque fuit per viscera *Nessus* —

i. e. venenum, quo aliquando vestis eius erat infecta — et ibd. Silv. III. 3. 73. *longus nepos* pro longa posteritas:*longo* transmisit habere *nepoti*, — quamquam locus hic incertus et varie a viris doctis tentatus.

*) Locum Claudiani in Rufin. II. 162.

Fraternas ex aequo dividat *hastas* —

recte explicant, qui *hastas* pro *exercitu* accipiunt.

Nunc sonet festum lyra pulsa carmen,
Nunc chori laudent juvenum canori,
Quem Patrem et Regem colimus, **Guilelmi**

Facta benigna.

O pie et sancte venerande Princeps!
Tu bonis mulces mala, sive luctu
Corripi gentis prohibes amatae

Pectora grata,

Seu salutem adfers, veluti propinqua
Naufrago tellus, opis indigenti
Templave educis reserasque aventi

Discere proli.

En novum adjunctum decus ante nostrae
Additis urbi positumque templum
Artibus sero revocabit alma

Regna nepoti.

O dies felix simul et dolore
 Commovens omnes animos acerbo!
 Quae fuere annos prope per ducentos
 Praesidio alto

Litteris, nunc o! adamata tecta,
 Horridam ob formam licet haud amoena,
 Nos profano usu violanda fata
 Transdere cogunt.

Sed procul luctum ex animis, alumni,
 Pellite. In terris fragile et caducum,
 Quidquid humanum genus efficaci
 Condidit arte.

Jam novus vos Lar manet. Ite fortes
 In novis castris bene militare
 Candidis Musis, merituri amorem et
 Praemia lauta.

Pristinae vero memores palaestrae,
 Quae patres olim proavosque claros
 Jam sinu exceptos teneris ab annis
 Fovit amice

Et bene eduxit, velut alma nutrix,
 Et dedit cives patriae peritos
 Obsequi regi — sapienti adesse
 Consilioque:

Inde virtutum repetatis omnes
 Splendidum exemplum studioque recto
 Gloriam et famam solidam recenti
 Condite sedi.

At velut ramis validis amicta
 Populi vitis generosa laete,
 Horridam dum non timet auram, alescit

Stipite tuta:

Sic juventutem tueatur usque
 Nesciam noxae, cohibens iniquos
 Spiritus, magnis ab avis recepta

Lex sacra Christi.

Supplices ergo genibusque flexis,
 Aedis ingressi penetral reclusae,
 Verba jam vobis pia praeituro

Ore favete:

„Diva, Tu coeli pelagique et orbis
 Praeses Interpresque Patris potentis,
 Quae soles aures dare Te precanti,

Vota juventae,

Seu polo ex summo roseis amicta
 Nubibus, seu Tu nitida inter astra
 Nunc beatorum grege cincta circum

Respicis orbem,

Audias tutela **Maria** nostra!
 Pauperes olim coluisse sedes
 Laeta, nunc intres quoque in has, datura

Nomina ludo!

Te preces nostrae revocant precesque
 Te patrum poscunt. Nova sume regna;
 Quaeque debentur Tibi jure, sueta

Sceptra prehende!

Hic, jubar coeli columnaque rerum,
 Asside proli relevansque curis
 Corda confirmes, patriae bonus vir
 Et quid anicis

Debeat, vitae decus unde lausque
 Manet, ut discant juvenes, decoris
 Et choris Musarum hilaris lubenter
 Invigilantes.

(Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page)

Hic, jubat coeli columenque rerum.

Asside pr

Corda cor

Debeat, v

Manet, ut

Et choris

